



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

4. de angelorum morali bonitate, vel malitia in sua creatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

To. 3. firmat super Ezech. &c. ideoque illa verba
 Ioh. 1. sic accipiēda sunt: Homicida erat ab initio,
 vel mēdax. i. statim post initium, quando fi-
 bi aequalitatem Dei promisit, & seipsum oc-
 cidit, qui homicida dicitur in Euang. vel di-
 citur homicida ab initio. s. conditionis ho-
 minis, quē per invidiā in mortē præcipita-
 uit & fallaciter se duxit. Ex prædictis igitur
 liquet Angelos omnes bonos esse creatos,
 & post creationem per morulam aliquandiu
 stantes, quosdā tamen cecidisse à bono quod
 habuissent si perstitissent.

CAP. Quartum. Angeli ante confirma-
 tionem habebant de Deo cognitionem,
 sed non meritoriam.

ERat in eis triplex naturalis cognitio,
 qua sciebant quòd facti erāt, & à quò,
 & cum quo facti erāt. ideo & aliquam
 boni & mali notitiam habebant, & natura-
 lem dilectionem, qua Deum & se aliquate-
 nus diligebant, per quam tamen non mere-
 bantur.

DE ANGELORVM MO-
 rali bonitate vel malitia in
 sua creatione.

DISTINCT. Quartæ

CAP. Primum.

Angeli nec beati nec miseri creati sunt.

hb. 2. Or. 33.
 1. f. 148.
 b. h. 21.

Notitia
 aut. Patro

Angeli nec in beatitudine nec in miseria creati fuerunt: miseri enim ante peccatum esse non potuerunt, quia ex peccato miseria est. Nam si non fuisset peccatum, nulla esset miseria. Beati quoque nunquam fuerunt illi qui ceciderunt, quia sui eventus ignari fuerunt, id est peccati & supplicij futuri. Si enim lapsum suum præsciuerunt, aut vitare voluerunt, sed non potuerunt, & ita erant miseri: aut potuerunt, sed noluerunt. & ita erant stulti & maligni. Boni vero & qui perstiterunt, forte suæ beatitudinis præscij fuerunt. quod dicere videtur Aug. su per Gen. Sed hoc magis opinando & quærendo dicit, quàm asserendo. Vnde & huic opinioni opponens cõsequenter subdit: Sed quare discernebantur illi à cæteris? vt Deus istis quæ ad ipsos pertinent, non reuelaret: aliis verò reuelauit, cùm non prius sit ipse ultor, quàm aliquis peccator. Non enim dānat ipse innocentes, &c. Sic videtur innuere, quòd nec peccaturis futurum malum, nec permanens futurum bonum reuelauerit.

*Angeli
mali non
præsciue-
runt futurā
ram suam
reprobatio-
nem.*

*Angelis
bonis non
fuit reuela-
ta præde-
stinatio
sua.*

Ex prædictis sequitur quòd Angeli qui corruerunt, nunquam beati fuerunt, nisi beatitudinem quis accipiat pro innocentie statu. Illi verò qui perstiterunt, aut suam beatitudinē futurā, Deo reuelante, præsciuerunt. & ita spei certitudine aliquo modo beati fuerunt, vel incerti extiterunt suæ beatitudi-



nis: & ita aliter beati non fuerunt, quam reliqui qui ceciderunt. Mihi autem probabilius est, quod incerti fuerunt boni suæ beatitudinis futuræ.

CAP. Secundum. *Angeli ante confirmationem in bono aut malo erant perfecti.*

Perfectū tribus modis dicitur. Est enim perfectum secundū tempus, quod habet quicquid tēpus requirit, & cōuenit secundum tempus haberi, & sic erant Angeli perfecti ante confirmationem vel lapsum. Et perfectum secundum naturam, quod habet quicquid debitum est & expedit naturæ suæ ad glorificationem. & sic etiam fuerunt perfecti post confirmationem, & sancti post resurrectionem. Est & perfectum vniuersaliter & summè, cui nihil vnquam deest, & à quo vniuersa proueniunt bona, quod solius Dei est. Prima perfectio est naturæ cōditæ. 2. naturæ glorificatæ. 3. naturæ creatæ.

DE CONVERSIONE ET
Auerfione Angelorum.

DISTINCT. Quintæ

CAP. Primum.

Post creationem mox quidam angelorum conuersi sunt ad creatorem suum, quidam autem auersi.